

DISSERTATIO ACADEMICA,  
QUA  
PRISCORUM  
HASSIÆ INCOLARUM  
STATUS OECONOMICUS,  
POLITICUS, MILITARIS ET RELIGIOSUS  
SISTITUR,

---

QUAM  
AUSPICIIS  
SERENISSIMI ET CELSISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
DOMINI FRIDERICI,  
HASSIARUM LANDGRAVII, RELIQ.  
ACADEMIÆ MARBURGENSIS RECTORIS  
MAGNIFICENTISSIMI,

---

PRÆSIDE  
JOH. ADOLPHO HARTMANN,  
HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.  
PLACIDO DD. COMMILITONUM EXAMINI,  
IN ACROATERIO PHILOSOPHICO,  
ANNO MDCCXLIV. DIE XVIII. MARTII  
HORIS CONSUETIS SUBFICIET.  
JOHANNES DANIEL. LEUTHAUSS,  
NASSEN - ERFURTO - HASSUS.

---

ist. Hass.

136,10

354. hist. germ. Spec.

MARBURGI CATTORUM,  
YPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYP.


*Ab en. sup.*  
*Uphol.*

DRUCKER: NENNEN

QUA

PRISGORUM

HASSIE INCOIARUM  
STAFU-GEONOMICUS  
POLITICS, METARS TAMBIGORS  
SISTUR



BRUN

AUSTRIE

CELESTIGORUM BY TAMBIGORUM


WASSER, DIE BOMBER

DOMIN FRIEDRICH

HASSIE INCOIARUM

ACADEMIE UNIVERSITÄT ZU BAMBURG

RECHENKUNDE



JOH. ADOLPH. HARTMANN

RECHENKUNDE


UND ALGEBRA

FÜR SCHULEN

UND UNIVERSITÄTEN

JOHANNES DANIEL LEUBAUS

RECHENKUNDE



DRUCKER: NENNEN

JOH. ADOLPH. HARTMANN



*DISPUTATIO ACADEMICA,*  
QUA  
PRISCORUM HASSIÆ INCOLARUM  
STATUS OECONOMICUS, POLITICUS,  
MILITARIS ET RELIGIOSUS  
SISTITUR.



audata ea cum fuerit virorum de re  
literaria meritissimorum consuetu-  
do, ut Græcorum, Romanorum  
aliarumque priscarum mundi hujus  
gentium statum antiquiorem & exa-  
minarent, & suis meditationibus illustrarent; horum  
imitati vestigia complures, eruditione illustres in Ger-  
mania nati, aut Germaniæ totius aut certorum etiam  
Germaniæ populorum antiquiorem statum sua dignum  
cura, non sine orbis literati commendatione, æstima-  
runt. Horum nobis legere vestigia, etsi imbecillita-  
tis nostræ consciis, opella præsentis libuit, & in Pri-  
A sco-

scorum Hassiæ incolarum statum cum Oeconomicum, tum Politicum, Militarem & Religiosum data opera incumbere, cum ut eundem inspiciamus ipsi, tum ut, non inutilem aliis, multarum inde rerum deducamus originem. Qua in re, soli Divinæ gloriæ destinata, an ipsam attigerimus veritatem, ut tanto deprehenderemus certius, placido DD. Commilitonum examini eandem decrevimus subjiciendam.

## §. 1.

Nomine Status Oeconomici priscorum Hassiæ incolarum nihil hic intelligimus aliud, atque eas consuetudines, quas, laudati toties, Catti, apud quos plus valebant boni mores, atque apud Romanos bonæ leges, teste *TACITO de M. G. Cap. 19.* sanctissimarum legum instar observarunt in matrimonio, educatione liberorum, habitatione, vestitu, cibo, potu aliisque ad sanitatem corporis cum conservandam tum recuperandam requisitis, & in morte ipsa & rebus mortem ipsam & subsequentibus observarunt religiose.

## §. 2.

Et ipsa quidem matrimonia quod attinet, severa illa fuisse, testis est *TACITUS de M. G. Cap. 18.*, taliaque, ut hanc morum partem maxime laudandam ipse pronunciet. Cum enim aliæ gentes polygamia indulgerent, Catti cum reliquis vicinis Germaniæ populis soli singulis uxoribus contenti agebant, nisi fortitan aliquis primariae inter eos nobilitatis a pluribus conjux rogaretur, idque non tam libidinis, quam ipsius nobilitatis causa. Ita de Ariovisto memorat *CÆSAR*  
de

*de B. G. lib. I. Cap. 53.* eidem nuptam fuisse unam gente Suevam, alteram e Norico, eidem conjugem oblatam; quod ipsum tamen an in Cattorum populo locum invenerit, scriptorum destituti testimonio, merito veremur affirmare.

## §. 3.

Et quod aliqui ob nobilitatem plurium ambi-  
rentur nuptiis, non omnino absurde id videmur posse conjectare, viros, ubi editis in bello gloriosis facinoribus nominis sui famam sibi comparassent, si non ab ipsis puellis, ab earum saltem parentibus aut propinquis de nuptiis, cum aliqua jungendis, fuisse interpellatos; consentire id videtur *Primo* cum ipsa Cattorum vita militari, utpote quæ, armis tractandis addicta, nullis voluptatum illecebris delibuta de gloria potius quam amoribus videtur cogitasse. *Secundo* quod ii nuptiarum videri possint conciliatores, qui, teste TACITO *loc. cit.*, & doti, a marito uxori datæ, intererant, & munera probabant.

## §. 4.

Neque obstat nobis TACITUS I. *Annal. Cap. 55.* ubi ab Arminio Segestis filiam, alii pactam, invito focero raptam fuisse memorat, easque eo ex conjugio enatas discordias, ut Segestes patriam potius Romanis & libertatem prodere, quam generum Vari victorem ferre maluerit. Fuere certe ea tum Germanis, libertatis suæ satagentissimis, tempora, quibus illi, qui libertatis servandæ studiosi erant, aliis, ejusdem libertatis cupidis, cari & pretiosi, Romanorum vero ami-

ci iisdem erant invisi. Favebat Romanis Segestes, insignis in eosdem fide, ab Augusto etiam civitate donatus, metus proinde erat justissimus, ne filia, illi, quem pater elegerat, tradita, potentiae & dominatus Romani pareret statores; quid ergo facilius, atque ut ii, qui libertatem tuebantur adeo, ut Segestem obsidere deinde non vererentur, ante hæc tempora ejusdem filiam Thusneldam Arminio sponsam offerrent, similes Patri, acerrimo libertatis vindici, filios daturam? potius cum a Patre alii pacta scribatur, id sequi inde videtur, parentum fuisse, filiabus ut placentem eligerent conditionem, non vero sponforum, ut, suis illi ducti desideriis, thori sociam primi dispicerent.

## §. 5.

Concordat cum hac nostra conjectura dos sponsæ oblata, a marito, non vero ab illa aut allata, aut accepta. Aliis in gentibus ætatibusque a ducturo uxorem eamque electuro considerari poterat, quantum auri, agrorum aliorumque bonorum ipsa uxor esset allatura, ut adeo opes divitiæque amoris non raro possent esse auctoramentum. Alia sapiebant Germani & cum illis Catti nostri, utpote quibus, libertatis gloriæque militaris studiosissimis, heroes erant pretiosi, non opes, & qui liberos, armis potius & victoriis, ad parentum exempla, inclytos, quam opibus copiosos, præoptabant.

Ut enim TACITUS *de M. G. Cap. 18.* dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert. Intersunt Parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsitæ, nec quibus nova nupta comatur, sed  
boves

boves & frenatum equum, & scutum cum franea gladioque. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro offert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur.

## §. 6.

Nimirum, quod Resp. Cattorum militaris esset, hac ipsa dote futuram docebant conjugem, eam neque extra virtutum cogitationes neque extra bellorum casus unquam futuram. Admonebant eam, ipsis incipientis matrimonii auspiciis, eam ipsam venire laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prælio passuram aufuramque, ut *loc. cit.* TACITUS præclare testatur, subdens: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma significare; quæ, dum sponsa accipit, simul intelligeret, se ea liberis inviolata reddituram, & digna, quæ nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

Qui ex hac Prisca veterum dote Morgengabam, Germaniæ inter nobiles adhuc usitatam, suam ducere originem cum HERTIO *Not. Vet. Germ. Populor. Part. II. Cap. III. §. 2.* deducunt, nostrum facile calculum merebuntur, an vero arma ea capulis adeo elegantibus, ex orichalco fabrefactis, & statuas Priscorum Germanorum referentibus, exornatæ fuerint, ut conjicit *Celeb. TREUERUS in Anastasi veteris Germani, Germanaque feminae §. IV.*, imagunculas hæc fabricatas fuisse illo ipso veterum Germanorum ævo & capulum seu manubrium mallei manualis extitisse, id enim vero, pace manium tanti viri, asserere veremur, quod non tantum a nullo scriptore, tantam fuisse rei metallicæ in Germanis notitiam, doceamur, sed ipsæ etiam posteriorum seculorum effigies nascentem tum in Germania artis fusoriæ, sculptoriæque

que notitiam usumque ipsa sua ruditate videantur docere, ut adeo imagunculas hasce, veterum Germanorum vestitum affabre exprimentes, in seriora tempora censeamus referenda.

## §. 7.

Causam contractorum ea ratione matrimoniorum ipsa Cattorum nostrorum consuetudo diserte docet. Sub Patris adhuc potestate constitutum, filium, ut TACITUS ait *Cap. 20.* & servum nullis educationis deliciis dignoscas, inter eadem pecora, in eadem humo degunt, dum ætas separet ingenuos, virtus agnoscat. Hoc ubi vitæ genere, ad omnem duritiem & laborum gravissimorum tolerantiam formatus fuerat filius, tum demum, non suo is consilio, arma sumere poterat, sed, si civitas belli laboribus suffecturum probasset, tum denique in publico civitatis concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus scuto frameaque juvenem ornabat. Ita, posita quasi prætexta, a Germanis Cattisque toga sumebatur, &, qui ante domus paternæ pars habebantur, nunc reip. ipsius suæ membra haberi incipiebant. Qua ex laudatissima consuetudine ut docemur, spectatam in ipso, armis exornando, ætatem & vires, tantæ rei suffecturas, ita & facile videmus, cur, docente eodem TACITO *Cap. 20.* fera Cattis nostris Germanisque aliis fuerit juvenum venus, neque virgines festinarentur, sed eadem juvenita, similisque corporum proceritas, pares validosque misceret, parentumque robora liberi referrent. Namque quod, Cattis nostris proprium fuisse, docet TACITUS *Cap. 31.*, hi ut primum adoleverant, jam pars civitatis suæ facti, crinem barbamque submittebant,  
nec,



nec, nisi hoste cæso, votivum obligatumque virtuti oris habitum exuebant, post sanguinem & spolia frontem revelantes, & facto professi, se tum demum pretia nascendi retutisse, & dignos esse patria parentibusque; quæ ipsa res quin tardiora iis persuaserit matrimonia, vix licet dubitare.

Ipsa etiam ex hac consuetudine liquet origo moris illius, quem Imperatores Principesque Germaniæ solennem sibi retinuerunt, ut Principes liberos solenni ritu armis insignirent, id quod, ut de aliis nil dicamus, de Henrico IV. refert LAMBERTUS SCHAFFNAB. *ad anno 1065*, & ipsa etiam equestris nobilitas, cum in aulis Principum serviens, tum etiam Ordinibus adscripta militaribus, solenni more armis induatur.

## §. 8.

Ita juncti matrimonio caste illud illud colebant. Testis TACITUS, qui, rara in Germanica gente fuisse adulteria, de *M. G. Cap. 19.* testatur, idque, quod poena eorum præsens & maritis esset permessa, & aspera satis gentique huic intoleranda; accidebantur enim adulteræ crines, eamque nudatam domo expulsam per omnem vicum verbere agebat. Explicat Priscam hanc poenam clarius adhuc BONIFACIUS, in *Epist. ad Ethelbaldum Anglorum Regem*, scribens: *in antiqua Saxonia, si virgo in materna domo, vel maritata sub conjugate sit adulterata, manu propria strangulatam cremant, aut, quod huc spectat, cingulo tenus vestibibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, & de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt, donec interimant.*

Vult

Vult quidem LIRSIUS, ex codice Bambergensi legendum: adulteriorum poenam parentibus & maritis esse permissam, quod crudum satis ipsi videatur, maritos hic solos esse arbitros. Verum nullus hic cruditatis metus, quod ipse TACITUS addat: coram propinquis domo expulsam, adeo ut solius mariti arbitrio poena illa non videatur concessa. Ipsi vero crines accisi docent, Germanis mulieribus eandem fuisse de comarum honore opinionem, quæ aliis etiam infederat populis. Ut enim AMBROSIIUS: *tolle arboris comam, arbor ingrata est; tolle humani capitis capillum, tota pulcritudo flaccescit.* Cui ut omittamus Apulejum aliosque, concors est OVIDIUS, canens.

*Turpo pecus mutilum, turpis sine gramine campus,  
& sine fronde - frutex & sine crine caput.*

## §. 9.

Quos casto ex hoc conjugio suscipiebant Catti nostri liberos, parentum fortitudinem & robur olim repræsentaturos, tollebant omnes & educabant, sed, ad omnem duritiam & laborem ab ipsa infantia institutos, ipsa matre suis quemque uberibus alente, nec ancillis & nutricibus delegante.

Testis TACITUS *de M. G. Cap. XIX.* & seq. scribens: numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habetur. Non licebat nimirum Germano Cattoque, quod Romanis usitatum legimus, ut liberos sanguinolentos adhuc aut necarent, aut etiam ad columnam aliquam lactariam exponerent. Nullæ tum germanis conchæ publicæ; in quas infantem expositum & ad Rusticum, Antistitem Trevirenses, ut aleretur, delatum, cum parentes suos nominare jussus esset, hunc Rusticum patrem & matrem Flaviam nominasse, memorat *Legenda S. Goaris & BROWERUS Ann. Trev. lib. VI.*

*VI. ad annum 566.* An vero vix natos aut Rheno aut aliis fluminibus primis illis temporibus demerferint, est, quod dubitemus; etsi enim a GALENO scribantur liberos suos deferre ad flumina & illos jam tum gelu ipso durare; esto CLAUDIANUS in Ruffinum scribat:

*Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus;*

etsi in ea sit sententia LIPSIUS in *Not. ad Taciti cap. 19.* & miretur, insignem illum, & Germanis de liberorum exploratione peculiarem, ritum, quo prolem, clypeo impositam, & Rheni undis abreptam, notham censebant, a Tacito præteritum; esto alii Rhenum velut vindicem judicemque conjugii ideo habeant, imo Germanum illi nomen, Rhein, ideo tributum existiment, ex ipso tamen Taciti silentio, ritum hunc Germanis Cattisque ignotum ejus adhuc ævo fuisse, defendimus, quod, consuetudinem adeo solennem curiosum adeo morum Germanicorum investigatorem, & eorundem cum Romanorum consuetudinibus collatorem latuisse, nequaquam possimus existimare. Si quis vero illam aquæ purificationem quasi in tempora Tacito posteriora referendam existimet, cum & illis, adoptata ab aliis gentibus, superstitione locum denique in Germania & Hællia nostra invenerit, nos cum CONRINGIO *de caus. habit. corp. German.* nequaquam habebit repugnantes.

§. 10.

Durities, ad quam institutos diximus cum Germanis Catts, cum observabatur in ipso vestitu, tum in alimento consueto, tum vero in ipsa etiam habitatione.

Non sumus quidem ii, qui, quod Germanis tribuit CLUVERIUS, idque multis tueri satagit, sentiamus, eosdem, dum pellibus, aut parvis Rhenonum tegumentis humeros & pectus ad umbilicum usque tegebantur,

B

reliqua

reliqua parte corporis nuda fuisse. Etsi enim Rheno hic, vel ut Tacitus appellat, Sagum, superiorem tantum corporis partem texerit, inferiores tamen corporis sui partes, id quod & frigus & pudor suadebat, braccis vel linteis vel etiam coriaceis obtegebant, quibus soleæ, eaque plerumque acutiores, assutæ erant. Facit nobiscum Cæleb. ab ECKHARDT in Erklärung eines alten Kleinodien-Rässlens pag. 21. scribens: die Hose heist bey uns zwar die Bekleidung der Lenden, allein vor alters bedeuteten es auch die Strümpfe, weil damals auch die Bekleidung der Lenden mit den Strümpfen zusammen hing, und aus einem Stücke war, wie etwa noch jetzt der Heiducken Hosen sind. Man kan dieses klärlich aus den Siegeln = = = und auch auf den alten Grabsteinen sehen. Unser junger Herr hat eben dergleichen Hosen an, welche die Hosen und Strümpfe zugleich, und da sie unten eine starcke Sohle haben, auch die Schuhe ausmachen. Man bedeckte also mit den alten Hosen die Lenden, die Beine und die Füße zugleich. Id tamen ex his patere abunde existimamus, Germanorum & Cættorum nostrorum vestimenta, utut ad modestiam fuerint composita, talia tamen fuisse, quæ nec mollia fuerint & delicata, nec in asperiori tempestate corpus adversus omnem frigoris rigorem communiverint, sed illud potius tolerandæ ejusdem acerbitati omnino assuefecerint.

## §. II.

Neque obstat nobis, quod TACITUS *cap. XX.* de Germanorum filiis scribat: in omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrefcunt. Id enim de quibus intelligendum sit, nos MELA docet *lib. III. cap. 3.* scribens: *maximo frigore nudi agunt, antequam puberes, & longissima apud eos pueritia est.* Qui, cum nuditatem ad solos impuberes diserte adstringat, eandem puberibus neutiquam attribuit,

buit, utpote quos ea exceptione abunde & diserte factis a turpi nuditate absolvit. Et vero nonne infulse ratiocinaretur, qui ab observata aliquibus in locis media etiam hyeme puerorum nuditate, quos ipsi solo tectos indufiolo nudis pedibus glaciem terentes conspeximus, ad adulatorum nuditatem vellet argumentari. Confirmat id CÆSAR *Lib. VI. de B. G.* dum enim testatur: intra annum vigesimum foeminæ notitiam habuisse in turpissimis habitum rebus. Subjungit: ejus rei nullam esse occultationem, quod promiscue in fluminibus lavarentur. Certe si inferiore corpore nudi incessissent Germani, a solis promiscuis balneis ejus rei nullam esse posse occultationem stolide tantus vir asseruisset. Minus vero adhuc stringit, si quis diceret: non puduit Germanos in promiscuis conspici balneis, ergo nec eos puduit, nudo palam incedere corpore. Annon enim in thermis Helveticis promiscue olim lavisse legimus? & tamen, quis ejus loci incolas nudo corpore palam incessisse unquam dixit? & vero cum nostra sententia consensit Carolus M. qui, cum teste Aventino videret Francos suos, Gallorum victores, horum sagis virgatis atque brevibus indutos, indignabundus exclamavit: en liberos Francos! qui eorum, quos vicere, vestimentum inauspicato usurpant. Quid ista pietaciola profunt? totum corpus non operiunt, maxima ex parte nudum relinquunt, neque a pluviis ventisque defendunt. Ubi, licet a sagis his dicatur corpus maxima ex parte nudum relinqui, nemo tamen hactenus, quod sciamus, fuit; qui ex his vocibus turpem illam Francorum nuditatem voluerit exsculpere, quam CLUVERIUS ex TACITO &

CÆSARE magno molitus est opere lectoribus suis persuadere.

## §. 12.

Ipsa Germanorum Cattorumque, alimenta ad illam, a qua commendantur, corporum duritiam & laborum quorumcunque tolerantiam apprime contribuerunt. Ut enim CÆSAR *de B. G. lib. III. cap. I.* non multum frumento, sed magnam partem lacte ac pecore vivebant, multumque erant in venationibus, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione & libertate vitæ vires alebat & immani magnitudine corporum homines eos afficiebat. Consentit Cæsari TACITUS: *cibi, scribens, cap. 23. simplices, agrestia poma, recens fera & lac concretum.*

Ubi per agrestia poma non illa tantum, quæ in sylvis agrisque cruda & insipida gignuntur, sed ea etiam, quæ ex arboribus manu confitis mitia producuntur, intelligenda pronunciamus. Recens fera vero non indicat carnes crudas, etsi enim, iis etiam aliquos Germanorum fruitos esse, scribat MELA *lib. III. cap. III.* ex eo ipso, quod etiam addat, communem hanc Germanis cibi rationem non fuisse, abunde patet. Verum existimamus intelligendum, carnes nec multo sale conditas, nec fumo duratas fuisse, quibus Germani Cattique vescebantur. Has ipsas vero recentes carnes magis assas fuisse, quam elixas, vero est similis; Etenim & ATHENÆUS *lib. IV. cap. 13.* Germanos in prandium adferre carnes assas refert, & hæ ipsæ genti, militia delectatæ, paratu erant faciliores. conf. WOWERIUS *de Polymath. cap. 10.* Quid vero lactis concreti nomine intelligat TACITUS, in diversa abeunt Auctores. CONRINGIUS *de caus. Habit. corp. Germ. sect. II. cap. III. §. 41.* non nisi pauca eaque vulgaria ex lacte confecisse majores nostros

pro-

pronunciat, & licet CÆSAR casei meminerit, dubitat, dum ille majoribus notus fuerit. Verum, quod pace tanti viri dixerimus, id saltem argumentum non stringit, quo contendit, voces in Romana lingua & simul Germanica usitatas eandemque rem significantes signum esse plerumque rei ipsius aliunde mutuatae. Annon enim notum, Romanos multas voces Germanicas sua dialecto inflexisse & a Germanis in suam linguam mutuatos. Certe, ut alia taceamus, cum Galenus, teste COELIO RHODIG. *Antiq. lect. lib. 28. cap. 7.* Melcam & aphrogala gæneatica inter obsonia Romanorum referat, vix est dubitandum, quin Romani & rem & vocem a Germanis sint mutuati. Et vero, cum lacte usi sint majores nostri, ex ejus vero floris agitatione facile butyrum fiat, remanente lacte seroso, ex lacte vero secundario facile acor ille jucundus, quem PLINIUS *lib. XI. cap. 21.* memorat, uti & ex eodem lacte, ope coaguli condensato, caseus formari queat, parum abest, quin utrumque Germanis nostris usui fuisse adstruamus.

## §. 13.

Potum quod attinet, is ipse ut primis temporibus ab aqua & lacte antiquissimis gentibus petitus fuit, ita TACITI temporibus humor fuit ex ordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. An Catti nostri, illos, qui proxime ripæ Rheni erant, si excipiamus, vinum mercati sint, merito dubitamus cum CONRINGIO *loc. cit. §. 47.*

## §. 14.

Et vero hoc ipso potu factitio uti facile poterant Catti nostri, utpote qui & domos habebant & agros, quos per servos suos colebant. Esto enim TACITUS *de M. G. cap. XIV.* scribat: *nec arare terram, aut exspe-*

*Etare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri: quod pigrum inersque videretur sudore acquirere, quod possis sanguine parare; idipsum tamen de liberis tantum Germaniæ populis & bello natis intelligendum esse, idem scriptor testis est cap. 15. memorans: delegatam domus & penatium & agrorum curam feminis senibusque & infirmissimo cuique ex familia. Consentit cum eodem CÆSAR lib. VI. cap. 22. ubi refert: neque quisquam agri modum certum aut fines proprios habet, sed Magistratus & Principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis & quo loco visum est, attribuunt agri. Qui disertius id adhuc de Cattis testatur, dum ex singulis Suevorum pagis quotannis singula armatorum millia educi, reliquos vero domi manere, & pro se & illis agros colere memorat, ut neque agricultura, neque ratio atque usus belli intermittatur.*

## §. 15.

Somno, quem in diem plerumque extrahebant, recreatis, ubi lauti primum erant, cibum capere solenne majoribus nostris erat; ubi separatas singulis sedes, suam cuique mensam, tribuit TACITVS cap. 22. An vero, quod ex Strabone contendit LIPSIUS *ad h. l.* sedes hæ fuerint e gramine aut frondibus, & propriethori, est, quod merito ex tanta lignorum in Germania copia quis possit dubitare.

Nolumus tamen ex hoc alioque Taciti loco, ubi Germanos, quoties bella non ineunt, plus, asserit, per otium transigere somno, deditos ciboque, & fortissimum quemque



que bellicosissimumque nil agere. Id enim de non turpi  
foedissimaque intelligendum censemus ignavia, sed, ut  
bene THOMASIVS *dissert. de homin. propr. §. 8.* verosi-  
milis existimamus, Tacitum innuere, Germanis nil eo-  
rum in more positum fuisse, quæ Romani in templo,  
curia, foro, balneis, aliisque agebant, & cum Germa-  
nica mancipia nil horum nossent, dominique Romani  
servos rogarent, quid pacis tempore agerent, respondi-  
se: Venamur, ultra vero interrogatos, cum nil eorum  
apud se fieri, quæ Romæ fiebant, dixissent: Romanos  
miratos dixisse, Germanum mira diversitate & quietem  
odisse & omnem inertiam.

## §. 16.

In his ipsis mensis, praesertim cum hospes ad-  
esset, sive notus is fuisset, seu ignotus, (quem arcere  
tecto nefas existimabatur) non tantum apparatis pro  
fortuna epulis comiter inter se vivere solenne Cattis  
erat Germanisque, sed diem noctemque continuare  
potando nulli probrum. Quod ipsum, utut GROTIUS  
aliorum populorum crapula lenius videatur facere,  
scribens: ebrietatem, non novum Germaniæ vitium,  
accusat Tacitus aliique. Non excuso: quanquam Pla-  
to hoc commune esse dixerit bellicosis gentibus, Scy-  
thas, Persas, Poenos, Celtas, Hispanos, Thraces  
nominans, quibus Indos addit Ælianus. At facile hos  
omnes & illos, unde græcandi natum est verbum, vi-  
cerit Romana temulentia, qualis PLINIO *lib. XIV.* de-  
scribitur: utut TEMPLIUS *observ. circa stat. Foeder.  
Belgii cap. 3.* contendat, computationes istiusmodi ob  
aëris intemperiem non modo sanitati proficuas, sed &  
ad excitandos spiritus esse utiles; nos tamen nullo mo-  
do approbamus.

## §. 17.

## §. 17.

Id commendandum potius, quod in his ipsis conviviiis, de reconciliandis invicem inimicis, de jungendis affinitatibus, de adsciscendis principibus, de pace & bello consueverint consultare, atque si nullo tempore aut ad simplices cogitationes magis pateat animus, aut ad magnas incalescat. Majori vero id adhuc laude dignum (etsi BODINUS levitatis inde notam, omni destitutus ratione, inurere Germanis fatagat) quod postera die, auditis jam omnium consiliis, ea, quæ in deliberationem venerant, sobrii retractarent, itaque utrumque tempus & convivii & sobrietatis rebus longe gravioribus, atque quibus Romani Græcique sua transigebant convivia, exigenter, deliberarentque, dum fingere nesciebant, constituerent, dum errare non poterant, procul remoti ab eo Alexandri facti, quo ipse potus, ebrio scorto ferenti sententiam assentiens, Persepolim flammis exurendam decernebat, aut ab eo etiam, quo in concilio, an. 1140. in causa Petri Abelardi celebrato, cum de damnando Abelardo ageretur, cum scyphi salutati essent & pontificum guttura vino irrigata, a lectore vero interrogarentur: an lectam Abelardi thesin damnarent? alii ad extremam syllabam expergefati somnolenta voce: *damnamus*, ajebant, alii vero, damnantium tumultu excitati, decapitata prima syllaba: *namus*, inquiebant.

## §. 18.

Speſtacula non alia Germanis fuiſſe, deprehendimus, atque cum re bellica affinia, dum, teste TACITO *de M. G. Cap. 24.* Juvenes Germanorum nudi inter

ter

ter Gladios ac infestas frameas, ita se saltu injiciebant, ut omnia provide declinarentur vulnera, simul tamen decora illa exercitatione sese armis, caute tractandis, præpararent, non vero voluptatem eam quæstui aut mercedi propositam vellent. Quod de alea, tanta cum temeritate a sobriis etiam exercita, *loc. cit.* addit TACITUS, ut, cum omnia defecerunt, extremo & novissimo jactu de libertate & corpore contendant; id laudare nequaquam possumus; esto fidem eam vere Germanam non possumus non probare, qua victus, licet junior robustiorque, voluntariam adibat servitutem, & alligari se ac venire patiebatur. Quam enim hic TACITUS velit pervicaciam, non videmus, cum sciamus, pacta, sub conditione turpi inita, etsi hæc impleri non debeat, ubi tamen impleta fuit, compascentem obligare. Conf. GROTIUS *de J. B. & P. Lib. II. Cap. XI. §. 9.* & BODINUS *de condit. turpi impleta cap. II.*

## §. 19.

Nec id omnino existimamus vituperandum, quod victor, teste TACITO *loc. cit.* ut & ejus conditionis servum & se quoque hujus victoriæ pudore absolveret, istiusmodi servos per commercia aliis traderet; quæ tamen ipsa servitus, & si aliis in locis durior fuerit, ut in Saxoniam Vetere, apud Catos tamen tolerabilior erat; quod, assignata istiusmodi servo certa agri parte, hic suam sedem, suam familiam, regeret; quem frumenti modum aut pecoris aut vestis dominus eidem, ut colono, injunxerat, præstaret; neutiquam vero, quod Romanis usitatum, in ipsa domini familia & domo ministeria perageret, utpote quæ uxor & li-

C

beri

beri exsequebantur; ubi tamen id vero existimamus simile, iis servis, quibus tantum agri non obtigerat, ut frumentum, pecora aut vestem domino inde possent exhibere, operas aliquot dierum aut etiam itinera leviora fuisse præscripta, ut ex iis, quae posterioribus seculis obtinuisse novimus, non male conjicit POTGISSERUS *de Condit. & Statu Servorum apud Germanos.*

## §. 20.

Funera quod attinet, eorum Germanis Cattsque nostris nullam fuisse ambitionem, docemur a TACITO *de M. G. Cap. 27.* id tamen observabatur, ut corpora clarorum virorum certis cremarent lignis, struem vero rogi, nec vestibus nec odoribus cumularent. Sua tantum arma quorundam igni una cum equis addebantur, totum vero sepulcrum cespes erigebat. Quodnam vero fuerit certum illud ligni genus, & si B. SCHMINCKIUS in erudita *Dissertatione de urnis sepulchralibus & armis lapideis veterum Cattorum* §. 17. quercina fuisse a non nemine putari posse dicat, id nos definire non audemus. Interea tamen nec id negabimus, multa etiam Germanorum imo & Cattorum cadavera absque prævia crematione tumulata esse, id quod vel urnæ illæ Madenses & Sceleta in tumulis his inventa testari possunt. *Conf. modo laudata Dissertatio* §. 23.

## §. 21.

Ipsam defunctorum Germanorum Cattorumque hæreditatem quod attinet, testamentum omne ignorabant; quia, quod ipsa natura duce intelligerent, se adstringi non ad liberos alendos modo educandosque,  
dum

dum viverent, sed etiam ad illis, quantum poterant, a morte sua succurrendum, suos quique liberos hæredes successoresque indubitatos relinquebant; quod si nulli essent liberi, ipsam rursus ducem sequebantur naturam & amorem ab eodem unicuique insitum; adeo ut proximus in successione gradus essent fratres, patrui, avunculi, quibus absque liberis demortui hæreditas obtingeret. Nec reprehendendum id, quod tam inimicitias atque amicitias patris aut propinqui suscipere liberis propinquisque esset necesse. Qui vero apud **PLINIUM** *Epist. ad Calvisium aliosque Romanos* Scriptores male audiebant hæredipetæ, servile sane hominum genus, ii Germanis Cattisque nostris ignorabantur, adeoque nulla apud eos erant orbitatis solatia, ut ait **TACITUS** *de M. G. Cap. 20.*

Quod hic aliqui comminiscuntur testamentum apud Germanos nuncupativum, volentes, **TACITUM** de solis loqui testamentis scriptis, id nostrum non obtinet calculum, quod **TACITUS**, multiplicem testandi rationem romanis usitatam non ignorans, diserte dicat, Germanis *nullum esse testamentum*; neque ab hac paterna hæreditate exclusæ fuerunt filix, utpote quæ maritis suis attulere *Faterbium*, quo vel paterna pecora, des *Batters Vieh*, vel paterna hæreditas, des *Batters Erbe* intelligebatur. Vid. **HAHN** *Annot. ad Diploma Fundat. Cænobo Bergensis.*

## §. 22.

Ad Politicum Cattorum veterum statum quod attinet, utut nonnulli aliarum Germaniæ gentium regibus parebant, ut **TACITUS** *de M. G. Cap. 44.* docet de Suionibus, *Cap. 45.* de Sionibus; status Monarchicus Cattis nequaquam arridebat; ut enim idem

TACITUS *Cap. 7. nec regibus infinita aut libera potestas, & duces exemplo potius, quam imperio præsunt, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant. Et Cap. 11. de minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes prætractentur; nimirum, ne a Monarchico unius penderent arbitrio, coibant, nisi quid fortuitum aut subitum incidisset, certis diebus, cum aut luna inchoaretur, aut impleretur. His in conventibus duces suos, sed virtute conspicuos, eligebant, in his de totius populi salute disponebant; ut enim CÆSAR *Lib. 4. de B. G. Cap. 19. postquam Catti per exploratores pontem fieri comperissent, more suo consilio habito, nuncios in omnes partes dimiserunt, ut de oppidis demigrarent, liberos, uxores suaque omnia in silvas deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum convenirent. Ubi tamen oppidorum nomine villas, vicos, privatasque domos, intelligenda censemus.**

## §. 23.

Hos inter electos Cattorum Principes TACITUS memorat *Annal. Lib. II. Cap. 7. Arpum, cui, dum Catti castellum Lupiæ impositum, quod in agro Paderbornensi situm, Monum. Paderborn. docent, obsident, Silius, a Cæsare obsessis auxilio missus, conjugem & filiam rapuit, Cap. vero 88. Adgandestrium, Cattorum Principem, narrat, datis Romam litteris Arminii mortem promississe, si patrandæ neci venenum mitteretur; quod ipsum, ut citra virtutem fidemque Cattorum fuit, ita summum libertatis amorem hoc ipso in populo testatur, quod Arminius, liberator haud dubie Germaniæ,*

niæ,

niæ, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuerit. Qui STRABONI *Lib. VII.* scribitur *ὄυκρόμερος* vel *Acromerus* aut non inepte *Veromerus* Cattorum Princeps, TACITO *Annal. Lib. XI. Cap. 16.* dicitur *Catumerus*, cujus filia, Flavio, Arminii fratri, nupta, ex eo mater facta fuerat Itali, quem Cherusci, amissis per interna bella nobilibus, sibi regem petebant, qui tamen, secunda elatus fortuna, ad superbiam prolapsus pulsusque, ac rursus Longobardorum opibus adjutus, per læta per adversa res Cheruscorum afflictabat, ut *Cap. 17.* idem TACITUS memorat, ut adeo Cattorum principem Italum cum WINCKELMANNO *Part. VI. Cap. 10.* dicere merito formidemus.

## §. 24.

Ita per egregia belli facinora communi consensu ad Principatum promotis neque pacis nec belli tempore animadvertere, neque vincere, neque verberare aliquem licebat. Solis id sacerdotibus permissum, non quasi in poenam, nec ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem bellantibus adesse credebant. Neque obstat CÆSAR *de B. G. Lib. VI.* qui, *cum bellum civitas gerit, magistratus, qui ei bello præsent, & vitæ necisque potestatem habeant, deligi,* scribit *Cap. 23.* cum TACITUS nullum tempus designet, sed Deo imperante poenam exigere commemorat. Confirmat hoc ipsum TACITUS *Cap. XI.* ubi, de gentis totius consilio agens, silentium per sacerdotes, quibus tum & jus coercendi est, imperari confirmat.

## §. 25.

In ipsis hisce conciliis, ad quæ non simul, nec jus-

C 3

si,

fi, conveniebant, unde & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumebatur; ut confidebant armati, quemadmodum id turbæ placebat, ita, ab imperato per sacerdotes silentio, princeps primum, deinde prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout erat facundia, audiebantur, sed auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Præfentes vero, si displicuisset sententia, fremitu adspernabantur, si placuisset, frameis concussis, nam honoratissimum assensus genus erat armis laudare, quæ dicta fuerant, approbabant. Licebat ad hæc in his conciliis accusare quoque & alteri discrimen capitis intendere. Si reus probatus quis fuisset, non tam ex lege aliqua scripta, quam probis laudatisque moribus, proditores & transfugæ ex arboribus suspendebantur; ignavi, imbelles & torpore (corpore legi vult GRONOVIVS): infames coeno ac palude, injecta desuper cæte, mergebantur. Levioribus vero in delictis equorum pecorumque numero multabantur, parte multæ civitati, parte vero ipsi, qui vindicabatur, vel propinquis ejus, exsoluta. In his etiam conciliis eligebantur principes, qui jura per pagos vicosque redderent, quibus centeni ex plebe comites addebantur, consilium simul & iudicii ejus auctoritas. His in conciliis juvenus, ut §. 7. dictum, armis induebatur, pars deinde reip. futura.

§. 26.

Id prærogativæ instar erat Principalis, quod, cum tributis vectigalibusque carerent, mos esset civitatibus Germanicis, adeoque & Cattis nostris, ut ultro ac vi-

ritim



ritim principibus conferrent vel armentorum vel frugum aliquid, quod, pro honore acceptum etiam necessitatibus subveniret. Ubi LIPSIUS quidem decimam armentorum vel frugum subintelligendam existimat, alii vocibus: & *viritim*, vocem *equitium* substituunt; verum lectioni vulgatæ nos acquiescendum existimamus. Habebant adhæc principes id singulare, quod finitimarum gentium donis, quæ non modo a singulis, sed publice etiam, mittebantur, colerentur; quæ inter erant electi equi, magna arma, phalæra torquesque. An vero et Catos nostros Romani docuerint, pecuniam accipere, quod ait TACITUS *Cap. XV*, de eo merito dubitamus.

## §. 27.

Ea etiam Principum erat prærogativa, ut ipsi a juventute, armis jam insigni, stiparentur, eosque inter etiam illi non tantum essent, quibus aut magna patrum merita aut insignis nobilitas principis dignationem tribuisset, sed hi, ceteris robustioribus ac jam quidem probatis aggregati, non erubescerent etiam principum inter comites versari, imo cum aliis laudata certarent æmulatione, cui primus esset apud Principem locus, id quod eius, quam sectabantur, iudicio unice relictum. Et vero hi ipsi principum comites insigni iis cedebant gloriæ, & magno semper electorum juvenum globo circumdari, ut in pace decus, ita in bello erat præsidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea erat gloria, si numero & virtute comitatus eminent. Hi enim & legationibus expetebantur, & muni-

neri-

neribus ornabantur, & ipsa plerumque fama bella profligabant. Namque, ut *Cap. 14.* idem T A C I T U S, cum ventum in aciem, ut turpe erat principi virtute vinci, ita turpe comitatu virtutem principis non adæquare; infame vero & probrosum in omnem erat vitam, superstitem principi ex acie recessisse. Præcipuum comitum horum erat sacramentum, principem tueri & defendere, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, & dum principes pro victoria pugnabant, comitum horum erat, pro ipso principe decertare.

## §. 28.

Quod vero, requiret quispiam, comitum horum auctoramentum erat, quod præmium? an feudis, vel a Principe vel a civitate in concilio ejusdem datis, dum aliorum ornarunt virtutem, aliorum excitarunt? esset hic ipse mos insigne illorum præsidium, qui contra ipsa Principum suorum jura, contra ipsam historiæ veritatem, feuda, quæ in Germania nunc obtinent, data esse, invita veritate ipsa, contendunt. Verum, Priscis his non Hassiæ tantum nostræ, sed & universæ germaniæ, temporibus, nulla feudorum datorum est mentio. T A C I T U S enim *loc. cit.* epulas & quamquam incomptos, largos tamen apparatus comitibus hisce stipendii loco cedere, pronunciat. Quibus addit, ab his ipsis principum comitibus, re præclare gesta, exactum esse a principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam; quæ tamen nemo feudis, sed virtutis potius conspicuæ testimoniis, dicet adscribenda.

## §. 29.

## §. 29.

His comitibus septi principes, ubi bellum cum vicinis ex voluntate populi totius gerendum erat, non excursionibus improvidis aut fortuito etiam prælio decernere consueverant, sed, ubi populis, qui sub Cætorum erant imperio, auxilia peditatus equitumque imperassent, ipsi demum in campum procedere. Suis juncti ordinibus ibant, non casu aut fortuita conglobatione juncti, sed familiæ & propinqui, suis inter se ordinibus sociati. Ad hos non raro ipsæ accedebant conjuges liberique, ut feminarum ululatus & vagitus infantium novum ingenitæ virtuti adderetur incitamentum. Ne nocturnis hostium incursionibus pateret exercitus, singulare id, teste *Tacito Cap. 30*, habebant, ut noctem vallarent. Ad hæc principes ipsi, non sine solertiæ & rationis encomio, occasiones & fortiter & feliciter agendi intelligebant; suos etiam & suorum impetus provide differebant; diem disponebant; fortunam inter dubia virtutem inter certa numerabant. In ipsis præliis non juncto lateri latere expansaque recta fronte, sed acie cuneata, & in fronte angusta paulatimque se in trigoni formam expandente, hostium aciem per rumpebant. Scutum iis erat, vel ex viminibus textum, vel tenui ex tabula fabricatum, sed lectissimis tinctum coloribus, lorice paucis, vix uni aut alteri galea, nisi earum vicem imposita capiti cum dependente reliqua cute ferarum crania fuisse quis contendat. Scutum vero reliquisse præcipuum habebatur flagitium, adeo ut ea notato ignominia nec sacris liceret adesse, aut concilium inire; multique bellorum superstites laqueo infamiam finierint. *Tacit. Cap. VI.*

D

§. 30.

## §. 30.

Tela ipsa quod attinet, rari, ut ait TACITUS *loc. cit.*, gladiis utebantur, aut majoribus lanceis, sed framæ ipsis erant, germanica voce ita dictæ, angusto & brevi ferro, sed ita acri & habili, ut eodem telo & cominus pugnarent, &, prout ratio ferebat, eminus. Ad hæc pedites & missilia spargebant, pluraque singuli & in immensum vibrabant, ipso juventutis exercitio ad hoc assuefacti. Quæ vero hæc missilia fuerint Cattorum tela, ipsæ videntur nos docere Urnæ Madenses; cum enim, teste TACITO, sua mortuo cuique arma adjicerentur, in his vero tumulis inventi fuerint duo silices oblongi & acuti, tresque alii grisei coloris lapides, prisco autem ævo ferri usus in terris hisce frequens adeo non fuerit; quis silices lapidesque hos, utpote quibus hoc loco tumulati armorum loco usi olim fuerant, iis adjectos esse, vel dubitabit? præcipue, quod nemini ignotum esse queat, non raro ab hoste collectorum lapidum inbrem in hostilia esse effusum capita, aut eo etiam stantes in obsessis moenibus propugnatores suo esse loco depulsos. Sacrum hic quidpiam fingere, eosque ideo urnis additos contendere, quod ignem lapides hi containerent, nimis longe videtur petatum; velle illos etiam una cum cadente fulmine e nubibus deducere, & ceraunios (Donnerkeule,) dicendos affirmare, ab ipsa ratione habemus alienum; nisi forte quis germanicum ipsis nomen a Marte Germanorum, *Thore*, temporibus sequioribus impositum, telaque hæc, quod deo huic consecrarentur, *Thor-Reulen*, ab eo dicta fuisse contendat. Quæ in re minus eidem repugnabimus, Conf. laud. Differt. SCHMIN-

CK II

CKII de Urn. Sepulc. Vet. Cattor. RHODE Cimbrisch  
Holsteinl. Antiquiteten Remarques pag. 305. & seq.

## §. 31.

Præcipuum vero robur exercitus Cattorum in pedite erat, quem Catti nostri, Romanam æmulantes militiam, ut TACIT. *Cap. 30.* ait, super arma ferramentis quoque & copiis onerabant. Quid vero voce *Copiarum* intelligi debeat, cibariane, quæ a Romano gestabantur milite, an copidæ, qua voce teli genus lingua Gallorum vetere significatum, incertum. Cibos a mulieribus gestatos, ait TACITUS *Cap. 7.*, Servos etiam eosdem militantibus portasse, legimus alibi, adeo ut de cibariis, a pedite gestatis, vix intelligendum videatur; cumque ferramenta & copiæ copulentur, Catti etiam castra sua vallarint, quid vetat conjicere, vallos fortasse, lapides missiles aliaque telorum genera a peditibus esse gestata? & vero pedes hic ad eam educatus erat celeritatem, ut velocitas peditum ad equestrem pugnam congrueret, unde etiam non raro equiti mixtus præliabatur. Id vero Cattis singulare, quod ii, qui votivum obligatumque oris habitum, non nisi cæso hoste, exuebant, aut illi, qui anulum ferreum etiam velut vinculum, donec se cæde hostis absolverent, gestabant, prima semper fuerint acies.

## §. 32.

Id, quod in aliis Germanis observat TACITUS *Cap. 8.*, quod mulieribus sanctum aliquid & providum inesse putent, nec earum consilia aut responsa negligant; Ariovistus etiam ideo potissimum a Cæfare victus dici possit, quod consulta ab illo femina pronunciaffet, non esse fas, Germanos superare, si ante novam lunam præ-

lio contendissent; id an in Cattis etiam locum obtinuerit, dubitare quis posset; verum, cum SÜETONIUS *in Vitellio Cap. 14.*: Cattæ mulieri, velut oraculo, Vitellium acquievissse, testetur, falidicas istiusmodi mulieres a Cattis vix licebit removere. Credibile etiam est, ab iisdem captivum ejusdem gentis, cum qua bellaturi erant, cum aliquo suorum, propriis cuique genti armis, decertare jussum, ut ex hoc certamine futuri prælii exitum ipsi prænoscent. Conf. TACITUS *Cap. 10.* ubi plures superstitionum ritus ab eo describuntur.

## §. 33.

Victoria potiti Catti ab omni procul fuere sævitia; victi enim & capti tolerabili addicebantur servituti (§. 19.), terrarum etiam suarum portione multabantur, non ut eam sibi semper victores vindicarent, sed ut ab omni cultu & hominum possessione vacuum victi relinquere cogerentur; etenim teste CÆSARE *de B. G. lib. IV. Cap. 3.* publice maximam putabant laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros; quod ea re significetur, magnum numerum civitatum vim suam sustinere non potuisse. Qui subjungit: *itaque una ex parte a Suevis (Cattis.) circiter millia passuum sexcenta agri vacare dicuntur.* Quod vero de Germanis aliis narratur, ab iis captivos primarios ad aras, e viridi cespite constructas, Marti & Mercurio mactatos, festis deinde epulis, læto cantu, vagis tripudiis, diem noctemque proximam transactam, id de antiquissimis majoribus nostris, scriptorum destituti testimonio, asserere veremur.

## §. 34.

Ceterum, ut reliqui germani, ita & Catti, in  
qua-

quatuor hominum classes dispescebantur. Prima & præcipua erat Nobilium vel Adelingorum, *Secunda* In-  
 genuorum, *Tertia* Libertorum vel frilazzorum, *Quar-*  
*ta* Servorum. *Primæ* & nobilium ordini adscripti,  
 & sanguine & majorum suorum factis splendidi, non  
 comitiorum tantum frequentandorum jure gaudebant,  
 sed ad omnes etiam, in Rep. Germanica splendidiores,  
 evehi poterant dignitates. Ex his enim eligebantur  
 Comites, sive illi, qui jura per pagos vicosque redde-  
 rent; ubi quidem vocem Germanicum *Grave* alii a ca-  
 nitie derivant, quod insignes canitie homines ei offi-  
 cio admoverentur; alii eam deducunt a fossa, *einem*  
*Graben*, qua limites tractus illius, in quo jus reddere  
 poterant, circumdati finguntur; vero autem est simi-  
 lius, vocem Germanicum *Grave* esse primitivam &  
 judicem significasse, unde enatæ sint voces derivatæ v.  
 g. *der Gaugraven*, *Centgraven*, *Raugraven*, *Salz-*  
*graven*, *Wildgraven* &c. ita enim TACITUS *de M. G.*  
*Cap. 12.* in concilio vel comitiis, ait, electos comites, qui  
 jura per pagos vicosque redderent. Qui integro pago  
 & latiori territorum tractui jus reddebant, simpliciter  
 comites, & deinde Comites Pagensium dicti; qui per  
 vicos, hoc est centum familias & ducentos mansos jus  
 administrabant, *Centeni*, & sequiori ævo *Hundreni*  
 vel *Hunderones* appellati. Testis TACITUS *Cap. 6.*  
*Centeni*, scribens, *ex singulis pagis sunt, idque ipsum*  
*inter suos vocantur, & quod antea numerus fuit, nunc*  
*nomen & honos est.* Conf. SAGITTAR. *Antiq. ducat.*  
*Rhuring. lib. 4. Cap. 5.* Ex hac nobilitate ii, qui regi-  
 bus parebant, hos eligebant, TACIT. *Cap. 7. & An-*  
*nal. Lib. 2.* In aliis populis, ut *Cattis nostris*, nobiles hi

de minoribus rebus consultandi, in gravioribus vero prætractandi jure soli gaudebant. Horum liberis ipsi natales dignationem principis assignabant, imo nobiles hi, quod essent dynastæ & satrapæ terrarum longa clientium manu cingebantur.

## §. 35.

Ingenui vero ut comitiorum armorumque erant capaces, terras etiam proprias & a tributis quibuscunque immunes (postea huobas ingenuiles dictas) possidebant, ita etiam, teste TACITO, in bello duces ob virtutem eligi poterant, & raro tamen, comites; in comitiis vero, nisi duces essent, aut insignibus factis aut facundia valerent, vel fremitu dicta aspernabantur, vel frameis concussis probabant. Hi erant, qui se nobilibus aut ducibus jungebant comites, hi armis ipsis incanescebant, hostibus simul suisque monstrati; apud hos, præcipue si ferreo se annulo hostium cædi obstrinxissent, omnium initia pugnarum. His, militiæ penitus devotis nec domus, nec ager aut aliqua cura, prout ad quemque venere, alebantur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis senectus tam duræ virtuti impares faciat; ut ait TACIT. *de M. G. Cap. 31.* ex his sane & milites & ministeriales, ut sequiori ævo dicebantur, facile est invenire. Conf. *Ill. KOPP de Insign. differ. inter S. R. I. Comites & Nobil. immed. Liberti, Frilazzi vel Frilingi*, teste TACITO *Cap. 25.*, non multum Cattis nostris supra servos erant, raro momentum aliquod in domo, nunquam in civitate. Ex his posterioribus temporibus enati sunt cives, præsertim cum manumissio ab introducta Religione Christiana fieret frequentior; eorum aliqui dicebantur Proprie-



prietarii, quod propriis gauderent bonis, neque ulli ad obsequia obligarentur; alii Non Proprietarii, qui nulla bona propria possidebant, sed quoad usum fructum bonorum a domino pendebant. De Servis dictum §. 19.

## §. 36.

Commercia quod attinet, cum Germani pecunia destituerentur, sola rerum permutatione illa peragebantur; quid quod nec mercatores facile admittebant, nisi ea forte empturos, quæ, casu hoste, victori obtigerant. Fœnus agitare & in usuras extendere iis ignotum æque atque conceptis verborum formulis pacta inire, fides, verbo data, obligabat, unde, neminem mortalium fide ante Germanos esse, merito prædicabant. Elegantiores architecturam ignoratam, testis quidem est TACITUS, at, Catos nostros sub tentoriis aut casis egisse, aut sub terra etiam delituisse, vix ex dictis §. 33. fit credibile. potius *ex eod. Cap. 16.* id nobis videtur tenendum, Catos nostros & domos habuisse, spatio aliquo circumdatas, etsi materia uterentur informi & citra speciem aut delectationem; loca tamen aliqua diligentius fuisse illita splendente atque pura adeo terra, ut picturam & colorum lineamenta imitarentur.

## §. 37.

Religiosus Cattorum status priscis temporibus sanæ rationi apprime fuit conveniens; cum enim aliæ gentes incredibili stoliditate plures sibi deos fingerent, Catti nostri secretum aliquod & invisibile numen adorabant; neque, teste TACIT. *Cap. 9.* parietibus immensum illud ens cohibere, aut in ullam oris humani spe-

speciem assimulare fas sibi ex coelestium contemplatione arbitrabantur. Ab hoc ipso numine, ut *MELA Lib. 3. Cap. 3.* ait, vitam ad manes alteram expectabant, & ut *LUCANUS* canit: mortem mediam hanc inter & illam vitam habebant, credentes etiam eundem spiritum eosdem artus esse recturum, & si *Straboni* fides, probos præmiis ornaturum. Id deplorandum, quod majorem Romanorum rituum nacti notitiam, audientesque eos florem suum deorum suorum cultui attribuentes, non erubuerint Solem, Vulcanum & Lunam colere, imo illis Mercurium, Herculem, Martem, Isidem, aliaque numina vere ridicula adjungere, imo quercus ipsas sacrorum instar numinum habere, de quibus cum egerit *Schædus* in eleganti *Syngram. de diis German.* supra laud. *SCHMINCKIUS* de cultu arboris *Jovis* aliaque, nos pedem figimus, *Cluverio* tamen ex culto a Germanis Sole, Vulcano & Luna, iisdem SS. Trinitatis cognitionem adscribere volenti, nequaquam assentimur. Quæ vero posterioribus temporibus assumpta sunt idola Pusteri, Crodonis, aliorumque falsorum numinum monstra, ea, ad tempora nostra non pertinentia, consulto prætermittimus.

TANTUM.



Hist. Hass 126, 10